

Ex hoc patet quod talis Cambij finis proprie est transmutatio pecuniae de loco ad locum.

16 Sunt autem Cambiatores vt plurimum ipsi campfores: aliquando autem est e conuerso videlicet quod cambiatores sunt mercatores, & principales campfores, ita quod trapezita aliquando à mercatoribus accipiunt pecunias, alio loco restituendas, sunt igitur duo modi & vnusquisque diuersificatur dupliciter, vel enim dans pecunias indiget cambio, vel recipiens pecunias indiget cambio. Sunt etiam alij duo modi non ita ordinarij quando aliquis qui non est mercator sed nobilis accipit pecunias existens extra patriam reddendas per suos amico Campforis in patria vel cum antequam discedat è patria dat pecunias Campfori restituendas in loco ad quem vult peregrinari, sunt igitur modi. 6. vt infra.

Campfor dat Mercatori petenti vt reddat Lugduni Mercator amico Campforis.

Campfor dat Mercatori sponte vt reddat Lugduni Mercator amico Campforis.

Campfor dat nobili petenti vt reddat Lugduni nobilis amico Campforis.

Campfor recipit à Mercatore offerente vt reddat Lugduni Campfor amico Mercatoris.

Campfor recipit à Mercatore requisito vt reddat Lugduni Campfor amico Mercatoris.

Campfor recipit à nobili offerente vt reddat Lugduni Campfor ipsi nobili pecunias.

His visis conditio fit melior aut deterior quinque causis, id est, quod vnus cogetur soluere 12. pro 100. alius tantum duo, alius nihil, alius lucrabitur 2. vel tria pro 100. dico de recipiente pecunias, nam ille qui dat rationabiliter debet semper lucrari, eo quod exponit periculo suas pecunias, & etiam priuat se facultate vtendi eis, & mille occasionibus in quibus posset habendo suas pecunias lucrari, conditiones sunt hæ.

17 Prima est persona nam campfor quia proprie est ad hoc officium plus vult à mercatore, quam mercator à campfore, & mercator etiam plus à nobili, quam nobilis à mercatore, nam nobilis est valde remotus ab officio.

Secunda est quærentis Cambium nam licet pecunias tamen quia quæritur Cambium in propriam vtilitatem deterior fit conditio quærentis quam eius à quo requiritur, tertia conditio est mora temporis quanto, plus enim vult vti pecuniis tanto plus exigit vtilitatis cambiator, à principali quarta conditio est acceptio pecuniae in loco vbi est penuria vel abundantia & similiter redditus, nam Cambiator plus vult si det pecunias in loco vbi maior sit inopia pecuniarum, quam in loco vbi debent restitui, quod si in loco vbi dat sit abundantia, & in loco vbi recepturus est sit penuria pecuniarum, tunc libenter dat & cum omni modica vtilitate. Quinta causa est accidentalitatis vt pote quod in tempore bellorum magis timeat credere suas pecu-

Tom. IV.

nias, & etiam ex conditione recipientis qui sit pauper, aut infidus, aut contumax solutor, aut sit persona nimis potens, fit etiam casualis auctio de qua nunc dicam & fit etiam ex eleuatione pecuniae vel defensione in loco in quo debet recipi, de qua formabo casum. Omnibus igitur his causis grauat vtilitas dantis, aut leuis fit, vt quandoque pluribus concurrentibus ille qui recipit lucretur etiam vtilitatem à datore, & vidi vsque ad 10. pro 100. & hoc maxime contingit in nobilibus, qui volunt peregrinari & volunt recipere suas pecunias cum sunt in loco ad quem vadunt, ita quod campfor recipiens non potest habere vtilitatem de pecuniis propter paruam moram, & etiam quandoque non habet quod faciat ex eis, vnde videns illius necessitatem si debet recipere pecunias vult solum restituere 90. aureos pro centum receptis, & ita nobilis ille perdit 10. pro 100.

Circa quæ nota duo primum quod casualiter cambia augentur hoc modo congregantur in nundinis mercatores descripti, & imponunt quantitatem conuenientem vtilitatis diuersam respectu diuersorum locorum, veluti quod marca auri pro Mediolano valeat siue soluat scutis 68. & pro Brugis 62. & ita statuunt in commune commodum pretia cambiis, & idem talis auctio est fortuita, quandoque maior & quandoque minor, secundum quod mercatores & solertes campfores conantur trahere pecunias ex locis vbi est copia earum, & reponere ad loca vbi est inopia, & hoc diuersis ingeniis & quandoque actuali pecuniarum transmissione, si itinera sint secura, nam in locis vbi est pecuniarum inopia & plures petunt, & cum maiore dantis vtilitate accipiunt, vnde lucrum dupliciter augetur. Fit etiam aliquando iactura Cambiatori ex permutatione pecuniarum in valore inter tempus in quo exburfauit pecunias, & tempus in quo recipit amicus suus ab amico principalis, & hoc diuersis modis.

Cambium igitur reale fit 2. modis vel cum vtilitate certa: vel sine ea, cum certa veluti cum vult 3. vel 4. pro centum de firmo, vtique autem istorum modorum fit quatuor modis quorum primus est vt Cambiator det certam summam aureorum sine extimatione, recepturus eandem, vel parum, plus, aut minus in eadem ratione aureorum, vt pote vnctias auri pro vnctis, marchas pro marchis, aureos solis pro aureis solis, & hic modus vt dictum est propinquior aliis est æqualitati, qui tamen non intelligunt vera Arithmetice fundamenta putant se grauius damnum pati si aureus decrescat, aut lucrari si crescat secundus est cum sine certo lucro æstimant aurum sub minori æstimatione Cambij, quam possit esse & volunt recipere sub æstimatione Cambij corrente, exemplum marcha auri valet aureos 65. in pondere, nec minus valere potest, dant igitur 65. aureos recepturi marcham auri in nundinis proximis valore quo æstimabitur in Cambiis, tunc autem valebit in Cambio id est volenti accipere ad Cambium, aureos 71. & ita cogetur debitor soluere aureos 71. cum acceperit 65.